CLEMENS PP. XII.

Univerſis Chriſtifidelibus præſentes literas inſpecturis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

AD augendam Fidelium Religionem,&Animarum ſalutem Cœleſtibus Eccleſiæ theſauris, pia charitate intenti, ac ſupplicationibus dilectorum filiorum Vincentii de Comitibus Miniſtri, & Salvatoris Salandari Procuratoris Generalium Fratrum Ord.Minorum S. Franciſci Convent.nuncupat. nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus,& ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis,qui aliquam ex Eccleſiis Fratrum dicti Ordinis, tam hactenus erectis, quàm in poſterum quandocumque erigendis, ac ubicumque Locorum exiſtentibus,in SS.Roſæ Viterbienſis, Catharinæ de Bononia, & Margarithæ de Cortona feſtis diebus à primis Veſperis uſque ad occaſum Solis dierum hujuſmodi ſingulis annis devotè viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, Hæreſum extirpatione, ac S. Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die prædictorum id egerint, plenariam. Monialibus verò ſupradicti Ordinis, ac aliis in earum quolibet Monaſterio nunc,& pro tempore degentibus verè pariter pænitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis,quæ ſuam reſpectivè Eccleſiam in diebus ſupradictis viſitaverint, & ut præſertur, oraverint omnium peccatorumſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis,& ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die vii. Maji MDCCXXXII. Pontificatus Noſtri anno ſecundo.

F. Card. Oliverius

Romæ Typis Reverendę Camerę Apoſtolicę 1732.

Præsens copia sic ut s.a impressa cum suis Literis Ap.cis originalibus collationata concordat

In fidem &. Romę 16. Maij 1732 —

Ita est Ant. Antonius de Cesaris

Can. ... Cam. Ap. Not.

*

2

Alexander Papa VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Alias fel. rec. Clemens PP. X praedecessor noster Omnibus et Singulis utriusq. sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et Confessis ac Sacra Communione refectis; qui aliquam ex Ecclesiis Fratrum Ord. Min. S. Francisci Conventualium nuncupatorum tam tunc erectis quam in posterum quomodocunq. erigendis et ubicunq. locorum existentibus die 2da mensis Augusti a primis Vesperis usq. ad Occasum Solis diei huiusmodi singulis annis devote visitassent et ibi pro Christianorum Principum Concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Eccles. exaltatione pias ad Deum preces effudissent plenariam Omnium peccatorum suorum et remissionem misericorditer in Dno Concessit: et alias prout in ipsius Clementis praedecessoris literis desuper in simili forma brevis die tertia Octobris MDCLXX expeditis, quas perpetuis futuris temporibus valere voluit uberius Continetur. Cum autem sicut Dilectus Filius Antonius Fabozzi Procurator Gnlis dicti Ordinis nobis nuper exponi fecit, indulgentiam plenariam et peccatorum remissionem ut praefertur Concessam etiam Animabus Christi fidelium defunctorum per modum suffragij applicari posse summopere desideret Nos pijs ejusdem Antonij Procuratoris Gnlis votis hac in re quantum cum Dno possumus favorabiliter Annuere volentes, Authte nobis a Dno tradita ac de Omnipotentis Dei misericordia et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus Authte confisi indulgentiam plenariam et peccatorum remissionem Christi fidelibus praefatas supradictas Ecclesias Fratrum Ord. Min. S. Francisci Conventualium die 2da mensis Augusti ut supra visitantibus, et praemissa peragentibus Concessam, etiam Christi fidelium animabus quae Deo in Charitate Conjunctae ab hac luce migraverint per modum suffragij applicari posse etiam perpetuo Concedimus et indulgemus. In Contrarium facientibus non obstantibus quibuscunq. Volumus autem ut earundem praesentium literarum transumptis ut earundem praesentium seu exemplis etiam impressis manu alicujus notarij publici subscriptis et sigillo Personae in Ecclesiastica dignitate Constitutae munitis, eadem prorsus fides ubiq. locorum adhibeatur quae praesentibus ipsis adhiberetur si exhibitae forent vel ostensae. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo piscatoris die 10. Jan. MDCXC. Pontificatus nostri Anno primo.

I. F. Albanus

Romae Typis Reverendae Camerae Apostolicae. 1690.

Ita est Fr. Joseph Maria Bellettus Causarum Curiae Camerae Aplicae Notarius

Concordat cum originali; ita est.

F. Joseph Jos. Boccari Venes. Fratr. Min. Conv. ... manu propria

Frater Fran.us Ant.s Benedictini Secr.us

Die 1691. Julij 7. Hanc Copiam authenticam Indulgentiarum [illegible] Christianinus Episcopus [illegible] ...

1690 Jan. 10.

Portiun

cu lam

A quolibet applicari posse p Defunctis.

Portiuncula

Portiuncula

Lietuvos TSR
CENTR.
BIBLIOTEKA
Mokslų Akademija

Lietuvos TSR
CENTR.
BIBLIOTEKA
Mokslų Akademija